

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Michael Falck Carolus Klüppel

**Quaestiones Politicae Pro Aristotele Contra Bodinum : Exlibr. 1. De Republ: cap
1. & initio secundi**

Rostochii: Kilius, 1648

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730221024>

Druck Freier  Zugang



Ru phil 2648
Mirac Falck
Coriolus Klüppel





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn730221024/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730221024/phys_0002)

DFG

67
66

QUÆSTIONES POLITICÆ

PRO ARISTOTELE CONTRA BODINUM

Ex libr. 1. De Republ: cap 1. E initio secundi

Quas

In Incluta Rostochiensi Academiâ
Consensu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ

PRÆSES

M. MICHAEL Falcf/
DANTISCANUS,

Et Respondens

CAROLUS Klüppel/

Publico Examini subijciunt

In Majori Auditorio


Die JANUARII horis Antemeridianis.

•S(0)S•



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. XLVIII.



Magnifico Academiæ Rostochiensis
RECTORI

Viro Plurimum Reverendo, Excellentissimo,
Clarissimo,

DN. JOHANNI QVISTOR-
PIO, S.S. Theol. Doctori, & Prof.
Celebrissimo, Facultatis Theologicæ Seniori
Venerando, Ecclesiarum Rostochiensium Su-
perintendenti Meritissimo, Præceptori
ac Hospiti suo omni cultu
prosequendo.

Debita Reverentia & Gratitudinis ergo, pra-
sentem Exercitationem Politicam, eo, quo
par est, de vota mentis affectu, Inscribit ac
Consecrat

CAROLUS Klüppel.

DE O DUCE.

Institutum mihi est, Academicī Exercitū gratiā, Aristotelem à Bodini (Viri alias celebrissima fama, nec vulgaris eruditioñ ac experientia) incursionibus, quas hinc inde in libr. de Republ. prater Philosophi meritum, in eum fecit, vindicare, machinas & armas ipso Aristotele suppeditante: nec enim mihi quicquam suppetit, quod huic rei sufficere queat, nec melius quam rationibus Aristotelicis oppugnatores Aristotelis confeceris. Bodini laudibus per hoc nihil detractum velim, nisi quantum ille Philosophie nostra Principi detrahere annis est: quamvis Hic major sit, quam ut Bodini dissensus vel impetus honori ejus vel minimum officere, aut mea etiam defensio eidem quicquam conferre posset. Pragustum hic dare visum est, alia occasione plura suppedisabuntur. Sed ad rem.

Quæstionum Politicarum Anti-Bodinianarum

¶ R I M A.

An Autem, & Beata Vita ad Civitatis rationem
sint necessaria, & quomodo?

1. **N**on ædificiorum numerus aut splendor, nec mororum ambitus Civitatem constituunt, sed hominum multitudo, eaq; non quævis, nec quorumvis, sed eorum, qui ad eundem communem finem obtinendum in eodem loco convenere, & ad finem illam opera sua comuniti studio & labore perficiunt, quos socios appellamus. Ergo Civitas est Societas. l. i. Pol. c. i. l. 2. c. i. Nec tamen omnis societas civitatem absolvit (nam & in domo, & in pagis vicisq; hominum sociates reperiuntur, ut de aliis societa-

A 2

-

cietatibus bonis malisve nihil dicam) sed perfecta & ad bene vivendum sufficiens, quæ, utpote societatum humanarum omnium maximè princi-
ceps, cæteras veluti partes continet. l. 1. Pol. c. 1. & Civium societas dici-
tur. l. 3. Pol. c. 3. Atq; hæc initio quidem, ipsa naturæ necessitate impe-
rante, vivendi causâ constituta est, (homo enim magis civile animal,
quam ulla apis, aut aliud gregatile animal, l. 1. Pol. c. 2. l. 3. c. 6. l. 1. Hist.
animal. c. 1. maximè in civili societate vivere per naturam desiderat, nec
nisi in eâ boni sui perfectè compos fieri potest) conservatur autem ea-
dem & perdurat beatæ vitæ, ut ultimi omnium actionum humanarum
fisias, gratiæ. Hinc Civitas definitur Aristotelii l. 1. Pol. c. 2. perfecta socie-
tas ex pluribus viciis constans, ἡδη τάχος ἐχειν τέρπειν τῆς αὐτάρκειας,
omnis sufficientia terminum jam consecuta, vivendi quidem causâ constitu-
ta, sed bene vivendi gratia existens. Et. l. 3 Pol. c. 1. Civitas dicitur civium
multitudo tanta, quanta τέρπειν αὐτάρκειαν τῶν ad vitæ sufficientiam
satù est. Item. l. 1. Oecon. c. 1. Civitas est multitudo domuum (h. e. dome
sticarum societatum s. familiarum, ex quibus vici constituuntur) & re-
gionū & familiarum τέρπειν τὸ δὲ τῶν αὐτάρκειαν ad bene vivendum suffi-
ciens.

2. Quæ quidem Civitatis (secundum materiam & partes materia-
les consideratae, nam secundum formam suam, quat, Reipub. vel potius
Politiae nomine venit, aliter definitur à Philosopho) descriptiones, pro
subiecta materiæ conditione accipiendæ sunt: nam aliàs sicut Civis, ita
& Civitas multis modis dicitur l. 3. Pol. c. 3. cum & mala & bona detur
civitas, & inter bonas una magis quam altera de civitatis ratione partici-
per, ut adeò communis quædam definitio, omnibus, quæ Civitates di-
cuntur, univoce competens, dari nequeat. Nam in iñ rebus in quibus sub-
iecta specie differunt, & eorum aliud est primum, aliud secundum, aliud de-
inceps subsequens, aut nibil prorsus commune datur, quatenus tales sunt,
aut parum, inquit hæc de re Aristoteles l. 3. Pol. c. 1. Solet vero in ejus-
modi id quod maximè, primò & principaliter ita dicitur, in primis de-
scribi, & ad hujus naturam & delineationem cætera reduci ac examina-
ri: ut si quis Sapientiam, Prudentiam vel Amicitiam definire velit, pri-
mò simpliciter & absolute ita dictas determinare debet, ut quomodo re-
liquæ, hoc nomine gaudentes, ad rationem earum vel aceedant, vel ab
eâ magis minusve abeant, conspicuum evadat. Et hoc Aristoteles quoq;
in Civitatis definitione observavit. Non enim omnis, quæ Civitatis no-
men

men obtinet, societas, nec eadem semper tam perfecta est, ut omnibus ad vitæ sufficientiam requisitis abundè sit instructa, nec omnis pari passu & gradu ad beatam vitam contendit, cum diversæ Civitatum formæ diuersos etiam fines sibi præfixos habeant. Si quis v. Civitatem simpliciter ita dictam mente complecti, eamq; à reliquis societatibus sufficienter distingue velit, talem, qualem Aristoteles descripsit, societatem animo concipiatur, necessum est.

3. Quare itemen Philosophi non satis asseditus videtur Bodinus quando lib. 1. de Repub. c. 1. *αὐτόκρεια* & beatam vitam ad civitatis rationem non spectare contendit, eius discursus ut accuratius examineatur, quid per *αὐτόκρεια* itemq; per τὸ bene vivere Aristoteles insinuet, in antecessum brevitè explicandum. Quorsum maximè facit a. g. l. 7. Pol., ubi ad vitam civilem necessaria Philosophus enumerat, 1. victum. s. alimenta, 2. artes, artiumq; instrumenta & opera omnis generis, ad victum, amictum, habitationem &c, & simpliciter ad vitam requisita. 3. arma, quibus & inobedientes in Civitate coercere, & hostium exterorum vim propulsare liceat. 4. Aliquam opum & divitiarum facultatem, τῶν ξενμάτων πώλησιν, tūm ad sumptus publicos in Civitate faciendo, tūm ad bella pro Civitatis defensione gerenda. 5. quod primum dicit ac præcipuum, divini cultus curam, & sacrorum administrationem. 6. quod omnium maximè necessarium, judicium de justis & injusis, ac deliberationes de utilibus & necessariis. Atq; his rebus omnibus Civitatem ad vitæ sufficientiam indigere ait, quarum si quedam deficiant, non posse eam simpliciter *αὐτόκρην* h. e. sibi ipsi sufficientem appellari. Cum vero tantâ multitudine hominum ad civitatem constituantur opus sit, quanta ad hanc sufficientiam requiritur, hinc sex in primis hominum generibus (quos tamen omnes non statim cives esse necessum est) omnem Civitatem constare oportere concludit. 1. Agricultoris, Pastoribus, Piscatoribus, & aliis, vieti parando inservientibus, quorsum etiam spectant Mercatores. 2. Variis artificibus. 3. Hominibus militaribus. 4. Divitibus & opulentis. 5. Sacerdotibus. 6. Judicibus ac Magistratibus. Quæ Civitatis partes aliter, paulòq; distinctius recentur l. 4. Pol. 6. 4.

4. Unde patescit, *αὐτόκρεια* nomine in Civitatis definitione non bonorum tantum extenorum copiam, sed quæcuq; ad bene vivendum

in Civitate requiruntur, in primis v. Civium multitudinem, ad (§ 3.) dicta sufficientem, designari: alias præter *avt̄r̄p̄neia* (1.) Civium. (2.) Possessionum & instrumentorum ad vitam necessariorum, datur *avt̄r̄p̄neia* absolute dicta, quæ ipsum finem Civitatis, Beatam vitam Civilem includit, non in hominum tantum aut opere, sed præcipue virtutum & operationum secundum virtutes sufficientiam consistens, quâ ratione *avt̄r̄p̄neia* finis & optimum appellatur, cuius gratia sunt reliqua l. 1. Pol. c. 2. & Beatus Civilis *avt̄r̄p̄neia* dicitur l. 1. Eth. c. 5. Atq; ad hanc, ut finem, facit *avt̄r̄p̄neia* Civium & Bonorum in Civitate definit: requirita, per quam Civitas, utpote perfecta societas ab imperfectioribus societatis, Pagis & Viciis differt, cum in his multa ad vitæ sufficientiam vel planè deficiant, vel non ita plenè reperiantur, id quod post naturalem instincturam non minimæ causæ loco fuit, cur in civitates coierint homines. Conf. l. 3. Pol. c. 6. Beata autem vita finis Civitatis ultimus est, qui & recte constitutus esse debet, & actiones ad eum tendentes recte se habere, si bona & beata cupiat esse Civitas l. 7. Pol. c. 13. Hæc vero beatitudo non in magnâ potentia, aut summo eminentia gradu, non in voluptatibus corporis, nee uilis aliis bonis, s. externis & fortunæ, s. corporis consistit, sed in animæ bonis, iisq; optimis & perfectissimis (non quidem absolute, qualia ad vitam contemplativam & divinam, secundum sapientiam ducendam, requiruntur, sed quæ ad vitam humanam s. practicam & civilem spectant) qualia sunt actiones & vita secundum prudentiam & virtutes morales s. civiles perfectè instituta. Qui finis Civitatis, s. summum Bonum Civile, & quæ ad illud spectant, per totam Ethicam Aristotelis (tanquam primam Politicæ partem) explicantur, unde ad Ethicos libros hic provocat Aristoteles l. 7. Pol. c. 13.

5. Sed hic prænotandum (1) Rerum ad bene vivendum necessariorum, copiam, in unâ civitate maiorem, in alterâ minorem suppetere, prout ipsa civitas vel major vel minor, vel perfectior vel imperfectior existit: perfectam autem & optimam ab Aristotele definitam, ut reliquis normæ instar esse queat. Optimum enim & perfectum in ejusmodi rebus definiri solet, ut optimus Princeps, optimus vir, maximè beatus, virtuosus, perfectus Philosophus, Orator, Poeta, perfectus & propriissimè dictus Civis, perfecta Civitas vel Politia. Quæ ergo Civitates ad perfectæ & optimæ naturam propinquius accedunt, eo magis sunt Civitates, quæ idem.

longius ab ea recedunt, eò minus hoc nomine dignæ. Neq; enim oppidum quoddam; quod forte præter nomen Civitatis parum habet, & vici magis quam Civitatis speciem refert, æquè dixeris Civitatem, quām quæ probè instructa, & suis numeris absolute existit: Sicut vice versa vice aut pagi nomen loco tribui posset, qui tamen cum multis civitatibus ratione sufficientia contendet, quales Helvetiorum pagi, quorum quatuor, urbes 12, vicos 400, continent, ut notavit Cisconius ad Cæsar. 1, Bell. Gall. Id quod naturæ rei nihil detrahit, sapè enim nomina rebus & res nominibus non convenient. Si quis vero abstractionibus hic indulgere, & communem omnibus, Civitatis nomen præse ferentibus, definitionem adferre velit, is operam dubio procul luserit, & non nisi æquovis, ac ad rem parum facientibus locutionibus sese impediverit.

6. (2). Sicut summè Beatum descripturus, non eum lecto affixum & cum lethalibus mortis conflictantem, aut ad extremam rerum omniam inopiam, & desperatam miseriam adactum, vel carceri trancipatum, aliisq; calamitatibus obrutum atq; oppressum considerare debet, sed in eo statu constitutum, ubi virtuti & prudentiæ exercenda locus sit, & homo felicitatis suæ compos fieri possit: neq; perfectum Oratorem delineaturus, eum, qui aut lingua adempta, aut organis morbo, aliave ratione depravatis sermonem facere nequeat, sed qui promptè & expeditè ad persuadendum dicere novit, exhibere tenetur: ita Civitatem definierus, non eam hostibus undiquaq; cinctam, viribus simul ac civibus exhaustam, & tantum non animam agentem, describere debet, nisi loco Civitatis inanem quandam umbram offerre velit, sed ita adornatam, ut splendidum Civitatis nomen tueri, & perfectæ societatis faciem præsentare possit. Sanè quò magis civitas labefactatur, premitur, exhaustur, quoq; magis *avèrè* illa imminuitur, eò magis de splendore & flore suo, adeoq; etiam de natura & ratione sua remittit, ut non nisi Civitas secundum quid, & cum addito, h. e. imminuta, pressa, inops, exhausta, corrupta, non autem absolute Civitas possit dici: imo nonnunquam etiam planè ad incitas redigitur, ut vix pagi aut vici ostenter speciem, quæ magno Civitatis titulo antè superbierat; hic enim gradus accretionis & decretionis dantur, cum ex pago Civitas, ex Civitate pagus fieri possit. Non quidem statim omnino definit esse Civitas, si maxime mala quædam ingruentia felicitatem ejus intervertant, aut imminuant, interim tamen aliquid suæ naturæ deperdit, & tandem malorum pertinaciæ victa

in

in aliam quam Civitatis formam transit, vel etiam nimis vehementibus motibus concussa, & devastata, plane exspirat: sicuti aqua si incalescat, non statim aqua omnino esse desinit, sed tamen naturam suam paulatim amittit, donec plane immutetur & consumatur. Aquam autem qui definire velit, non sanè calidam, quæ non nisi cum addito diminuente aqua est, sed prout in naturâ suâ est, frigidam, definit necesse est. Ita Civitatem descripturus, non inopia rerum laborantem, aut necessariis ad vitam destitutam, quæ non nisi secundum quid est Civitas, sed ad esse Civitatis requisitis bonis instructam & simpliciter ita dictam determinnet oportet.

7. Quæ si expendantur, facili negotio Bodino satis fiet d. 1. ita scribenti: Illud beatæ vivere, si ad Civitatis rationem necessarium esse demus, nullus sit nisi cum summâ rerum omnium affluentia virtuti locus. Resp. (1.) Consequentia nulla est. Nam beatæ vivere non est summâ rerum affluentia uti, sed secundum prudentiam & justitiam universalem in civitate agere. Ergo si beatæ vivere in civitatis definitionem inferatur, maximè virtuti ejusq; exercitio, & quidem summus in Civitate locus conceditur. Quod si per rō beatè vivere ipsam auctoritatib; intelligit, non satis bene & distincte loquitur, nec tamen quod vult obtinet, illa enim non in externis saltē bonis consistit, ut Bodin existimare videtur, sed etiam, quæ ad cultum divinum, ad judicia & justitiam in Civitate administrandam, adeoq; omnia, quæ ad beatam vitam necessaria sunt, complectitur, ut vidimus. (2.) Ad virtutem exercendam adeoq; beatæ vivendum externis quidem mediis, ut instrumentis opus est, sed inde tamen non infertur, quod Bodinus intendit. Neq; enim summa statim rerum affluentia requiritur, sed tanta, quanta ad vitam civilem debitè instituendam est sufficiens, nam etiam in his est aliquis terminus. V. l. 7. Pol. c. 1. 4. & 13. Conf. l. 10. Eth. c. 9. l. 1. Polit. c. 8. in fin. Hoc E. saltē sequitur: finem Civitatis summum sine sufficientibus ad virtutem & prudentiam Civilem mediis non posse obtineri. (3.) Pari ratione ex Definitione Bodini concluderetur: siad Reipub. definitionem necessariū est, summâ potestate pollere ac ratione gubernari. E. non nisi cum libertate & summâ potestate, iisq;, quæ ad eam requiruntur, mediis virtuti locus esse potest. At hoc non sequitur, sed illud: Ergo non est perfecta Civitas, nec finis sui sufficienter potest fieri particeps, nisi sit libera, & summâ potestate prædita: Servorum enim communio, Civitatis non meretur.

8. Per-

g. Pergit Bodinus : Nec honesta Civitas, nisi placido mari, secundum
conspirantium ventorum flatibus impulsa feratur, & cum horribiles illam
procella ac turbinum rū agitaverit, misera censeatur: quæ disciplina omnibus
est omnium Theologorum ac Philosophorum præceptu aliena. Resp.
Stylo nimirum indulget Bodinus, & per hoc accuratus esse desinit. Ho-
nesta h. e. virtuosa manere potest Civitas, si maximè affligatur; at si ni-
mīum prematur & coarctetur, ut virtutes civiles exercere amplius non
possit, finem suum & beatitudinem obtinere, h. e. honeste & secundum
virtutem vivere nequit, quod tamen propterea finis Civitatis esse non
desinit; finis enim est optimum & perfectissimum in quovis genere, pro-
pter quod sunt reliqua. Nec misera statim fit Civitas, si maxime calamiti-
bus quibusdam subjiciatur (nisi quat. miseria pro quovis infortunio
sumitur) quamvis hæc, si nimirum sint, multum de felicitate ejus decerpant:
verè enim misera (prout miseria beatitudini opponitur) illa demum est
Civitas, in quā vita, imprudentia, injustitia &c plenum obtinent do-
minium: sicut verè beata ea dicenda est, in quā virtutum viget exerci-
tium: nihilominus si malis plati succumbat, beatam eam nemo dixe-
rit. Potest autem Civitas non beata esse, quamvis propriè misera non-
dum sit, nisi ratione externi splendoris. Clarius: Sicut se habet Beatitu-
do uniusquisque hominis, ita etiam Civitatis, idem enim utriusque finis
est. l. 7. Polit. c. 2. l. 1. Eth. c. 1. Homo autem perfectè beatus esse non
potest, (nam alias beatitudinis gradus dantur, quamvis ut summa & opti-
ma describitur) nisi secundum virtutem optimam & perfectam agat,
quæ actio sine bonis externis ac fortunæ, itemque corporis, tanquam in-
strumentis & adjumentis, ex parte etiam ornamenti, perfici nequit.
Ergo & his eget beatus, non quod in illis S. B. consistat, sed quod sine
iis S. B. esse nequeat, vel quod ad S. B. obtinendum requirantur: maxi-
ma enim pars felicitatis in resto bonorum corporis & fortunæ usi con-
sistit, & varius opus est ad virtutem exercendam instrumentis, nisi quis
existimat, liberalitatem & magnificentiam sine opibus, modestiam &
magnanimitatem sine honoribus, justitiam sine commerciis, & contracti-
bus, temperantiam sine iis, quæ ad gustum & tactum spectant &c, exer-
ceri posse. Neque propterea quibusvis fortunæ casibus mutatur felicitas,
nisi per accidens: nam exigua fortunæ mala ad infringendam felicitati-
tem parum momentum habent, sicut parva fortunæ bona ad felicitatem
parum faciunt: magna vero infortunia, ut si in Priami calamitatem

B

quis

Quis incidat, vitam beatam in angustias redigunt & laddunt, cum & ægritudinem animo inferant, & multis virtutis actionibus impedimento sint: sicut contra magna & multa fortunæ beneficia, vitam beatiorem efficiunt, per accidens scilicet: Neq; enim humana felicitas planè est immutabilis, ut Dei bonum, sed prout ferum humana conditio, mutabilis, licet non facile mutantur. (Guttulae aliquot aquæ amphoræ vini admissæ, vinum parùm mutant, aliquot verò amphoræ aquæ vino affusæ, vini saporem penè omnem perimunt.) Sed miserum tamen calamitates non efficiunt, sicut nec fortunæ bona per se beatum simpliciter: nam in adversis quoq; rebus homo bonus, virtuosus, & prudens manet, & constanti animo difficultates omnes tolerat, ἡς ἀληθῶς ἀγαθός καὶ τελεόρατος ἔνδο ψόγος. Quæ omnia insignitè & ferè totidem verbis dedit Philosophus li. i. Eth. c. 9. 10. 11.

9. Pari ratione Civitas, nisi bonis externis, alisq; ad honestatem civilem necessariis debitè instructa sit, civilis beatitudinis actu capax esse non potest, non quod bona externa eam beatam efficiant, quæ vulgi est opinio, sed quoniam ad beatam vitam iis, ut instrumentis opus est. Conf. I. 7. Polit. c. 1. & 13. (Id quod ipse Bodinus liquidâ veritate convictus hoc cap. p. 6. fateretur, dum beatiorem fore Civitatem asserit bonis externis abundantem, E. sine his minus beata futura est) Nec tamen quodvis infortunium aut casus adversus, e.g. nuda obsecro (quæ magnæ sapè instrumentum virtutis est) Civitatem de statu suo planè dejicit, verum si tam validè infestetur, ut malis fracta penè pessumeat, quis actu beatam amplius existimet? quamvis habitu honesta h.e. virtuosa manere possit, nec ex beatâ continuo misera, h.e. vitiis & turpitudine referta reddatur. Atq; hoc tantum abest, ut ab omnibus omnium Theologorum ac Philosophorum præceptis sit alienum, ut nihil magis veræ Philosophiaræ, ad vitam practicam accommodatae, quam in Ethicis ac Politicis expressis summus extra controversiam Philosophus Aristoteles, (nisi hunc forte Philosophorum numero eximendum arbitretur Bodinus) sit conforme, & S. literis quoq; congruum, quæ in signes ejusmodi calamitates, florem Civitatis depascentes, & felicitatem ejus immutantes, ab irato Deo profectas, & societatibus hominum ob flagitia immissas, pleno ore loquuntur; qualis verò hæc poena, si per eam felicitati Civitatis nihil decederet?

10. Quibus observatis, haud difficulter solvuntur, quæ Bodinus subiungit: *Hic enim inquit (Philosophi) justos, etiam si omnes fortuna acerbitates*

bitates excipiunt, semper beatos: iustos, etiam in maximu^m prosperitatibus secundis, rebus infelicissimos esse judicant. Qui verò Philosophi^s non sanc*n*e omnes, sed stoicae sectae addicti. At quantopere hi circa genuinam beatitudinis indolem explicandam fallantur, ex accurata Philosophia Aristotelica facile patescit. Injusti sane & vitiis dediti, etiam rebus secundis maximè affluentibus, infelicissimi merito censentur, cum vita non detur miserior, quam quæ ad vitiorum præscriptum exigitur, humanae virtu*t*æ ad rationis, à prudentiâ informatae, normam ducendæ, ex amissim contraria, quam miseriā etiam bonorum affluentia magis auget, quam imminuit, cum vitiōsi ad graviora scelerata parranda iis abutantur, & maiorem peccandi illecebram inde arripiant. Sed virtuosos in extremas difficultates, unde emergere non licet, conjectos, vel perpetuo carcere devotos, aut in Phalaridis Tauro flamnis dicatos, beatos qui dixerit, beatitudinem vitam quandam esse civilem in actione occupatam ignorare videtur: an verò qui civiliter, h. e. secundum virtutem civilem vivere nequit, beatam vitam agere dicendus est? non magis arbitror, quam cui manus ligatae, manuum opera perficere, aut cui pedes amputati, ambulare valeret. Bene Claudianus:

Quid virtus submersa tenebris
Proderit? Obscuræ veluti sine remige puppes,

Vel lyra, quæ reticet, vel, qui non tenditur, arcus.

Quod si in virtute beatitudo sita est, virtus propter se experenda erit, & finis erit omnium: at virtutem propriæ actionem, ut finem, habitum propter operationem expetimus: Nam

Actione si desit, virtus est futile nomen.

Inquit Silius Italicus. Virtuosus quidem fortiter ferendo adversa virtutem quodammodo exercet; at quantum hoc ad beatitudinem? & quis neget, melius fore homini, si ejusmodi malorum tolerantia non opus sit, sed potius in pristinum statum homo restituatur? quod etiam quivis verâ virtute præditus maximè expetit. At beatitudo bonorum humanorum summum est, quo majus aut præstantius expeti non potest. Si verò homo summis adversitatibus expositus, nihilominus beatus est, summum bonorum obtinet, quid E. juvataliam vitam desiderare? Graecus admittere beatitudinem non nego, est enim actio, quæ magis & minus non respuit, sed tamen extra genus suum, actionem, non egreditur, ubi enim nulla secundum virtutem actio expediri potest, ibi quoq; felicitas quærenda non erit.

11. Progreditur Bodinus: Sic etiam Rempubl. benè institutam dicemus, quæ ad verum decus & honestatem dirigeretur, etiam si prematur in opia, si ab hostiis obsessa, si ab amicis deserta, si deniq; omni calamitatum genero obruta rideatur, quo in statu Massiliam, cum triumphatum est à Cajo Caesar, M. Tullius fuisse conjectur: quam tamen Rerum omnium publicarum laudatissimam appellat. Qualis vero fuit, talis quoq; est ambovis. Civitas inopia laborans, obsessa, pressa, capta, Civitas est, sed inops, capta &c. adeoq; cum addito talis, quod vel plus vel minus, parum vel multum de ratione Civitatis, prout secundum naturam suam se habere debet, diminuit: Si vero omni genere calamitatum obruatur, si opibus & civibus spoliatur, & tantum non plane diruatur civitas, quis eam simpliciter Civitatem dixerit, nisi miram Civitatis definitionem configere velit: Immemorem vero sui Bodinum fuisse oportet, dum Massiliam in triumphum etiam adductam, Rerum omnium publicarum laudatissimam appellat, cum ipse summam potestatem ad Reip. definitionem & essentiam requirat. Civitas vero capta & triumphata ne libertatem quidem, multo minus summam potestatem obtinet. Ergo consequitur, Massiliam eo in statu, ipsius Bodini iudicio, non fuisse Rempublicam, nisi nomen sine re posueris. En sibi contradicentem Bodinum! Cicero autem, quem adducit Philipp. 8. & l. 2. de officiis, Massiliam in triumpho contra fas & æquum portatam affirmit, sed ad exemplum amissi imperii, & cum summâ civitatis miseriâ, quæ Cives etiam Romanos ad justum dolorem & commiserationem commoverit; quando vero in Orat: pro Flacco ab optimis majorum institutis, & laudabili imperio, tum etiam locis antea adductis à beneficiis populo R. exhibitis eam commendat, non illam, qualis capta, & triumphata, sed qualis in flore & vigore constituta, fuerit describit. Sed manserit Massilia quodammodo Civitas, libera tamen non mansit, sed pressa, sed captiva, quid vero hoc ad Civitatis aut Reipublicæ, in genuinâ natura spectatæ, definitionem? Cum ne suam quidem Massilie in eo statu applicare possit, Bodinus, adeoq; in propriis casis incautus incidat.

12. Addit Bodinus: Quia vero Civitatem, quæ solo fertili sit & ubere locuples, hominum multitudine abundans, amicis carissima, hostibus formidabilis, armorum vi potens, propugnaculis bene munita, præclarè institutam putet, si omni scelerum & flagitiorum immanitate cumulata fuerit? Hæc omnia benedicuntur; In tali enim Civitate finis & optimum deest

(pro-

(propter quod omnia reliqua sunt & esse debent) vita secundum virtutes civiles instituenda: Sed quomodo per hoc evincitur, beatè vivere non requiri ad Civitatis definitionem? quod non rectè perceperisse Bodinum, ex verbis quæ subjungit, patet: *Cum nulla virtutum Capitalior pessis esse positis, quam beata illa & affluens ad cupiditatis expletias verum Copia, quam cum honestate conjungere non minus difficile est, quam qua maximè inter se contraria sunt.* Quis verò unquam beatam dixerit rerum copiam, quæ non nisi ad libidinem, honestati contrariam, explendam adhibetur, nisi forte Epicuride de grege porcus? an existimat Bodinus, beatam vitam rerum omnium abundantiam cum scelestissimâ vita coniunctam, & non potius optimum bonorum omnium usum denotare? Ipsa quidem rerum externarum copia, per se nec laudem nec vituperium meretur, multo minus beata dicenda est, virtuti autem nihil obstat, nisi per accidens, si male è uatus, rectè verò usurpata magnum Virtutis adiumentum & ornamentum est, quæ cum honestate non modò optimè consistere, sed & quâ omnino carere vita nostra honestati conformanda non potest. Alias ipsa ratiocinandi & deliberandi potentia, homini concessa, si male adhibeatur, maximè exitiosa est, ut in extremè vitiiosis reprehendere licet *Conf. l. i. Polit. c. 2. in fin.*

13. Concludit Bodinus: *Quoniam igitur ceterū quidem rebus & ea cere sine probro, & abundare sine laude possumus, virtutibus autem sine contumelia vacare, aut virtus inquinari sine infamia non possumus, consequens est, ea, quæ, beatiorem vitam efficere purantur, opes, inquam, Copias, latifundia, bene constitutis Civitatibus necessaria non esse.* Sed quomodo hoc sit consequens non video, multominus, quomodo per hoc infringatur illorum sententia, qui beatè vivere finem Civitatis constituerunt. Quid enim, si pariter concludam: *Summā potestate carere Civitas sine probro (turpidinis scilicet, deē enim loquitur) potest, & obtainere eam sine laude (honestatis scil.) potest.* Ergò summa potestas ad Civitatis rationem non est necessaria. Id quod est contra Bodinum. Non sanè sequitur: *Bona externa per se non merentur laudem quæ virtutis propria, nec si desint, probrum vel infamiam, turpidinis pedissequam, inurunt.* E. ad Civitatem non sunt necessaria. Nam non honestis tantum & per se laudabilibus, sed & necessariis ad vitam, & instrumentis ad agendum, *[(quorum bonus vel malus usus esse potest)]* Civitas indiger, ut bene iis utatur, & ita bonorum per se non laudabilem bonus usus sit

laudabilis. Ad respirationem hominis, concoctionem cibi in stomacho, ratione & intellectu non opus est: Ergone inferes, rationem & intellectum homini simpliciter non esse necessaria? Manibus carere potest homo sine vitio ambulationis, Ergone homini non opus est manibus? inconsequens. Opes vero, latifundia, & similia paulo post versaque pagina ipse Bodinus, sui q. oblitus, beatiorem Civitatem facere afferit, & recte quidem, non ut constitutio, sed ut media & instrumenta necessaria, quae licet ipse finis Civitatis non sint, ad finem tamen consequendum suo modo requiruntur, ut visum. Omnia haec, à Bodino proposita, ex ignorata τῆς αὐτοκένειας, & beatæ vitae s. summæ Boni Civilis, ut finis Civitatis, genuinâ definitione, & non intellectu legitimâ Civitatem definiendi ratione, enata esse, ex dictis luculentè appetit. Bodinianam vero Reip. definitionem (quam *in fronte lib. 1. c. 1.*, proponit, & de cā, tanquam ab aliis Politicis omisssā, à se vero primum adductā, vanè & præter rei veritatem gloriatur) longè majora in commoda premere, in discurso, si occasio tulerit, ostendetur.

Q UÆSTIO SECUNDA.

Num finis Reipublicæ in sublimium rerum contemplatione, an vero in operatione secundum virtutem & prudentiam Civilem consistat, & quæ hanc de re sit sententia Aristotelis?

§. 1. Prius afferit Bodinus l. 1. de Republica c. 1. *Quod si eadem est, inquit, unus Civis, quæ totius Civitatis felicitas, & utriusq. summum bonum in eū possum Virtutibus, quæ mentis ipsius propriæ sunt, quæq. in solâ contemplatione versantur, — consequens est illud quoq. Cives illas verâ felicitate frui, qui in verum naturalium, humanarum ac divinarum suavissimâ cognitione exercentur, — Hoc igitur bonorū extrellum in singulis statuenter, cur non etiam universorum ac totius Reipublicæ sumnum ultimumq. finem esse concedemus? Et post pauca: *Nos boni viri ac boni civis differentia sublatâ sumnum bonum singulorum a quæ ac universitatis totius, cā, quam diximus, pulcherrimâ, suavissimâ, sublimium rerum contemplatione metiamur.* Id quod in sequentibus fusi explicat: *Ipsum quoq. Aristotelem in sententiam suam pertrahere conatur, quamvis eum h̄c quodammodo dubium, nec sibi ipsi satis constantem, sed in semel suscepit sententia pertinacem, verborum ambiguitatibus rem implicuisse contendat. Aristoteles,**

Aristoteles, inquit, popularem opinionem interdum fecerit, antea in summo
benofniendo, nec suorum dogmatum constantiam ac convenientiam iam tueri
videtur: quippe qui virtutis actionibus opes ac robur copulare necesse erat:
cum tamen subtilius eo de genere disputaret, summum hominū extremumq;
bonum in contemplatione collocavit. Adducit autem l. 10. Eth. & l. 7. Po-
lit. c. 3. & 15. Et rursus: tametsi Aristoteles ex opinione Stoicorum hominū
bonum in virtutis actione posuisse, idem tamen actionem ad contemplationē
finem referri judicavit oportere. — At quem nollet Magistri Platonū se-
tiam tueri, & à proposito susceptaq; sententia discedere turpe putaret, que-
niam in actione beatam vitam initio posuerat, verborum ambiguitate usu,
summam felicitatem in mentis actione, qua ipsi nihil aliud est quam contem-
platio collocavit, &c. Idem tamen noluit aperte summum illud, quod querimus,
bonum in sola contemplatione collocare, id quod tamen necesse est confiteri.

2. Sed ut à posteriori incipiatur, Bodinus, hæc de Aristotele afferens,
se in lectione & consideratione Philosophi debitam non adhibuisse in-
dustriam, apertissimè ostendit. Clarissime enim omnium docet Aristote-
les, finem Politicæ & societatis Civilis adæquatum & proprium in bea-
tâ vitâ Civili, scil. summo Bono Humano, practico & Civili consistere,
quod ipse in operatione secundum virtutem optimam & perfectissi-
mam, justitiam scil. universalem, quæ virtutes morales scil. civiles omnes
complectuntur, & prudentiam, constituit, (idq; non ex opinione Stoico-
rum, quorum Secta Zenoni Cittico demum florem deberet, quamvis Anti-
sthenes Socratis Discipulus, Diogenis Cyrici Præceptor, Aristoteli coæ-
vus, jam tūm fundamenta ejus jecerit; hanc vero non in virtutis actio-
ne, sed habitu & possessione felicitatem posuisse notius est, quam ut pro-
batione indigeat, ut memoriam lapsus videatur Bodinus, dum à Stoicis
sententiam suam de summo bono Aristotelem hancisse affirmat) Id
quod ex totâ Ethicâ Aristotelis manifestum. Conf. quest. 1. §. 4. Hinc
l. 1. Eth. c. 1. (2.) bunc finem ultimum actionum humanarum à Politicâ, ut
Architeconica inter Practicas, considerandum esse probat, seq; in presenti
methodo (in lib. scil. Nicom.) de totius genit; vel Civitatis bono atturum-
ait, cum methodus illa sit politica. Cap. a. 2. (4) dicit, se querere velle bonum,
quod Politica expetat, quodq; sit summum bonum practicum. Illud etiam in
sequentibus inquirit & remotis aliis sententiis definit ac explicat. Et c. 5.
Summum bonum àutemq; esse debere inquit, non uniuersitatem solitariam
vitam agentis, sed & amicorum, sociorum ac civium respectu, unde bonis ex-
ternis

ternis quoq; egeat. Cap. 13. se in sequentibus de virtute humana tractaturum
innuit, cum S. B. humanum & beatitudinem humanam antea indagari. Atq; huc ea omnia, quæ in cæteris libris de virtutibus tūm moralibus
tūm intellectualibus, & quæ ad eas referuntur, de Amicitia, Voluptate,
& aliis tractantur, directa sunt. Quibus absolutis, ad tractationem de Re-
publicâ, eaq; præprimis optimâ, hujus finis, in Ethicis assignati, maximè
capaci, in libris Politicis, speciatim ita dictis, instituendam, progreditur,
ut ex c. ult. libr. ult. Nicom. apparet. Conferatur l. 1. M. M. c. 1. ubi de bono
non simpliciter tali, sed nobis bono, non de divino bono, sed de politico s. Ci-
vili, Ethicam, quam Politicam potius appellandam dicit, agere debere affir-
mar. Addit. l. 1. Eud. c. 7. & l. 7. Polit. c. 13. Atq; hæc est satis clara, con-
stans & perpetua Aristotelis sententia, ut nullo jure incertitudinis, in-
constantiae, pertinacie, & amphiboliæ hæc in parte à Bodino insimule-
tur. Platonis autem, in idea boni contemplatione finem Civitatis &
Beatitudinem ponentis, opinionem, quam Bodinus ipse p. 8. inanem &
fictam appellat, tueri non debuit Aristoteles, utpote à se explosam l. 1.
Eth. c. 4. l. 1. M. M. c. 1. l. 1. Eudem. c. 8.

3. Quod autem libro 10. Eth. de beatitudine Theoretica quoq; agit
Philosophus, non eo fine factum, ut eam finem Politicæ & Civitatis ad-
æquatum esse ostendat, sed ut præstantiam ejus præ beatitudine Civili &
humanâ, cuius tractatio directè ad Politicam spectat, & de quâ per to-
tam Ethicam egerat, adserat, & quomodo utraq; inter se differat, decla-
ret, id quod etiam eleganter d. l. deducit. Sicut l. 6. Eth. de Prudentiâ
quidem directè, de Sapientiâ vero, & aliis habitibus intellectualibus si-
mul egit, ut quomodo à Prudentiâ distinguantur, & quantum Sapien-
tia Prudentiâ præstet, pateat. Idem etiam l. 7. Polit. c. 2. 3. & 15. inter-
dit, ut demonstret, dari vitam civili, humanâ & practicâ longè præstan-
tiorem, Divinam & theoreticam s. Philosophicam, quæ sit absolutè
optima & bonorum simpliciter summum, vita scil. secundum sapien-
tiam, optimæ partis in homine & q. divinæ particulæ Virtutem, institu-
ta, (quam in contemplatione rerum naturâ præstantissimarum positam
& b. l. in Politicis & l. 10. Eth. apertissimis verbis afferit, ut mirum sit,
Bodinum ausum scribere, noluisse Aristotelem rem aperte determinare,
sed verborum ambiguitate de industriâ usum esse) Hanc vitam dicit esse
terminum & scopum pulcherrimum, ad quem ipse etiam finis Civitatis
s. vita Civilis ultimò debeat esse directa l. 7. Eud. c. 15. Unde etiam est,
quod

quod Prudentia non dominetur Sapientia, sed potius propter Sapientiam imperet, velut Atriensis vel potius Procurator & Vicarius Sapientiae, ut haec sine impedimento officio suo, quod in contemplando & venerando Deum maximè consistit, fungi possit. Conf. l. 6. Eth. c. 13. & l. 5. Eudem. c. 13. l. 1. M. M. c. ult. Et propterea ad hoc bonum non tantum singuli homines, sed etiam integræ Civitates per Prudentiam suam tendere debent, idem enim (ut recte afferit Bodinus) singulis bonum est & integris Civitatibus l. 1. Eth. c. 1. (2.) & l. 7. Polit. c. 2. & 15.

4. Per haec autem bonum theoreticum nondum finis Civitatis ad æquatus & proprius constituitur, cum bonum civile à contemplativo & in Ethicis & Politicis accuratè distinguat Aristoteles. V. in pr. l. 10. Eth. c. 7. & 8. licet ad hoc, ut finem scopum & terminum absolute ultimum & optimum, ipse quoq; finis Civilis societatis tendere & collimare debeat. Civitatis enim ut Civitas est, & Civium quæ talium finis Civile & practicum bonum est, quod homini quat, homo, h.e. animal civile est, competit (idem enim est hominis & Civitatis bonum, unde vir bonus absolute, & optimus Civis, non quisvis, nec in quævis Repub. ut sine discrimine Bodinus statuit, sed in optimâ Reipub. forma idem sunt l. 3. Pol. c. 4. l. 4. c. 7. l. 7. c. 13.) qualis est vita secundum virtutes Civiles tūm morales ut justitiam, fortitudinem, liberalitatem &c. tūm intellectualem ut prudentiam, exactam, cum nec virtus moralis sine prudentiâ, nec prudentia sine virtute esse possit l. 6. Eth. c. ult. & penult. l. 10. c. 8. l. 5. Eudem. c. ult. & penult. non autem bonum theoreticum & divinum, quod homini quat, intellectum s. facultatem divinam obtinet, per quam ad Dei cognitionem penetrare potest, competit. Tale bonum Civitatis esse debet, cuius cives, &, si fieri possit, omnes maximè queant esse participes. At si omnes contemplarentur, quis Rempubl. administraret? quis virtutem Civilem exerceret, quis Civitatem contra hostes defenderet? nonne homines à civilibus negotiis ad speculationes abstraherentur, & Respubl. tandem planè pessumiret? utpote quæ sine actionibus civilibus, ipso Bodino biu loci p. 8. teste, diu stare nequit, sine vita autem contemplativa simpliciter esse potest, quamvis sine hac non per omnia bene sit. Sapientia studium quidem in Civitatibus florere debet & à Senioribus, Reipubl. administratione & negotiis civilibus jam defunctis, maximè excoli (quamvis & juvenes, & adultiores ad sapientiâ præparari convenient) sed finis Civitatis ut civitatis non est. Sicut reli-

C

gionis

gionis & cultus sacri, à senibus secundum Aristotelem. l. 7. Pol. cap. 9
administrandi, cura in Civitate omnino vigere debet, Religio tamen
finis civitatis dici non meretur. Malè ergo Bodinus Civile bonum cum
Theoretico confundens finem Civitatis in contemplatione sublimium
rerum constituit, id quod è dictis claret. Adde quod ipse Bodinus paulò
ante in virtutum exercitio beatitudinem Civitatis collocarit. Beatitudo
autem Civitatis, finis ejus dubio procul est, quomodo ergo contempla-
tio finis erit? Sed objicit Bodinus p. 8. Civitatis felicitas non erit summa,
cum alium & divinorem finem spectet. Resp. Est summa inter bona
humana, quæ sub actionem hominis quat. homo, h. e. civile animal est,
eadunt, sed non est summa & optima simpliciter. Deum autem con-
templari & venerari, est bonum absolute summum & simpliciter per se
expetendum. Hæc v. non Civilis sed divina est actio, ab homine plus
quam Civilia sapiente, & intellectum, illam divinæ particulam auræ,
in primis excoleste præstanta. Conf. l. 10. Eth. c. 7.

QUESTIO TERTIA

An Aristoteles Oeconomica à Politicis, & Civita-
tem à familiâ distraxerit, & quomodo eadem distinx-
erit, ac Oeconomiciam definiverit?

I. Bodinus, ut habeat quod in Aristotele carpat, l. 1. de Repub. c. 2.
ita loquitur: *Nulla probabilitate mihi videtur. Aristoteles, Xenophon-*
tem secutus, à Politicis Oeconomicâ & Civitatem à familia distraxisse, quod
aliter fieri non potest, quam si membra singula ab ipsa corporis universi com-
page divellamus, quod quid aliud est, quam sine ulla adiutoria urbes construe-
re vellet? &c. Quem locum Aristotelis innuat, non adscripsit Bodinus.
Videtur tamen eo digitam intendere, quod Aristoteles. l. 1. Pol. c. 1. il-
los minus recte locutos asserat, qui existimarent Hominem Politicum,
qui civitati, Basilicum, qui Regno, Oeconomicum, qui domui, & Despo-
*ticum, qui servis præstet, eundem specie esse, & paucitate ac multitudi-
ne obtemperantiū saltē differe, adeoq; Politicam & Oeconomicam.*
eandem esse facultatem, quasi inter magnam Domum & parvam Civio-
tatem nihil intersit: quam sententiam veritate destitui d. l. affirmat. Idem
repetit. c. 3. Et. c. 7. rationibus adductis imperium herile & civile non
esse idem, sed specie differre ostendit. Unde l. 1. Oecon. c. 1. Oeconomicam
& Politicam distinguere docet, tūm objecto, quod ibi domus recte ad-
ornanda & gubernanda, hic Civitas legitime constituenda & admini-
stranda:

strandā : tūm sine, qui ibi est bēnē vivere inter socios domesticos, materiam Civitatis futuram procreare, ac ad Rēpubl. prāparare, & instrumenta ad bēnē vivendum comparare ; hīc vero bēnē vivere in Civitate. s. inter Cives, cui prior finis sub ordinatur l. i. Eth. c. i. tūm respectu im-
pe rantium & obtemperantium, ac ipsa administrationis ratione : cum
ibi unus saltē de jure naturali imperet, & servis quōq; quat. Dominus
est : hīc vero etiam plures alternis vicibus imperare possint, & quidem
hominib; liberis ac paribus. Adde quod virtutes & prudentia, jus &
amicitia domesticā & civilia, adeoq; etiam domus & Civitas, ac utramq;
administrationi ratio, specie omnino differant. Conf. l. 6. Eth. c. 8. Datur
quidem in Civitate aliiquid simile per analogiam societatibus & impe-
riis domesticis, de quo vide l. 8. Eth. c. 13. Civitas tamen & domus societa-
tes specie diversae manent.

2. Quamvis vero hæc ita se habeant, non tamen omnem de domo
& familiis considerationem à Politia omnino abesse jubet Aristot: sed
quantum ad cognitionem Civitatis ut totius, & administrationem ejus
sufficit, de domo, ut parte, & domesticis societatibus, *toto lib. i. Pol* tra-
ctat, quem propterea *περὶ Οἰνοπόλεως καὶ δεσμῶτεως l. 3. Pol. c. 6.* di-
cit. Quod miror Bodinum non observasse : multo minus vero Civita-
tem à familiā distractit, aut partes à toto divulgit ; quasi sine ullis ædifi-
ciis urbes constructuras, sicut Bodinus eum accusat. Scientiam de do-
mo rectè constituendā & administrandā à scientiā de Republ: adornan-
dā & gubernandā, non vero domum & familiam à Civitate sepa-
ravit Philosophus. Sicut non statim Rhetores aut homines militares à
Civitate sejungit, qui Rheticam & scientiam rerum militarium (Po-
liticæ sub ordinatas l. i. Eth. c. i.) à Politicæ distinctas esse docet

3. Xenophontem vero quomodo hic secutus dicatur Aristoteles
non video, cum ab hoc potius & Platone hæc in parte dissentiat. Plato
enim & Xenophon in eâ quam Aristot l. i. pol. c. 13. 7. reprehendit, fue-
re sententiā, ut ex Platon : *Politici initio, & Amatorib. circa finem, item q; Xenophont l. 3. memorab.* apparet (quamvis *Felicem Accorambonum & Anton. Montecatinum Italos, aliter utriusq; sententiam explicare non igno-*rem, quibus cur consentiam non reperio) Quomodo ergo Xenophon-
tem hīc sequitur?

4. Paucis interjectis subjungit Bodinus. *Nos tamen aliter atq; Ari-*
stoteles: is enim Oeconomiam bonorum accumulatione definit, que collegio-

rum àquæ ac Civitatum communis est: at familia appellatione & rectam domus gubernandæ rationem, & jura Patris familiæ in suos complectimur, que ab Aristot. & Xenophonte pretermissa videmus. Ubi vero Aristot. Oeconomia bonorū accumulatione, eāq; Civitatibus quoq; & Collegiis communis definit? L. 3. Pol. c. 3. quidem refert, quodam *χερητικόν* iuxta s. κατητικόν, facultatem bona & possessiones acquirendi, Oeconomiam s. Oeconomicam ipsam existimare, quæ sententia Platoni & Xenoph. in Oeconom. tribui solet, alios vero pro parte hujus maximâ illam habere, Sed c. 8. Oeconomicam & *χερητικόν* non esse plane idem probat, unam vero speciem κατητικόν, que justa & naturæ conformis est, Oeconomicæ partem dicit, & suo modo etiam ad Politicam pertinere, per quam & possessiones legitime acquirere, & acquisitis debitè uti possimus. Et c. 10. docet, circa bona & possessiones parandas versari, partim oeconomici esse, partim non esse, sed ejus facultati, que Oeconomicæ de servit. Videatur ipse Philosophus. Hoccine vero est Oeconomicam bonorum accumulatione definire? & non potius hoc tantum dicere, ad debitam domum administrandi rationem quoq; spectare, ut bona h.e. possessiones, ad vitam domesticam necessariae comparentur: quemadmodum ad curam Reipub. pertinet, providere, ut bona & opes ad vitam civilem sufficietes in promptu sint. Quo nihil verius dici potest. Ab Aristotele autem rectam domus gubernandi rationem, & jura Patris familiæ in suos prætermissa, is cum Bodino (arrogantium suam denuo hic prodente) asserat, cui nec liber primus Pol. nec Oeconomicæ Aristotelis unquam visa sunt, quorum vel sola inspectio Bodinum arguit falsitatis. Bodino autem, dum familialiæ ipsam rectam domus moderationem, & jura domesticæ appellat, malè definit & inconvenienter loquitur: aliud enim est familia s. ipsi domestici, Patris familiæ, ut Capitalis familie (qui interdum familie nomine quoq; comprehenditur) imperio subjecti: aliud recta administratio & gubernatio familie, ac iuris domesticæ societatis, quæ ipsius familie appellatione non nisi ἀκυρώσιν insiguntur.

Quæc innitatur res Carole publica fuleris,
Quæc priva inquiri, quæ post, quando utraq; poscit
Machina opem, fulcire queas tibicine utramq;.

Commensali suo suavissimo Dno. Carolo Klüppel
scr. J OHANNES Q UISTORPIUS D. Th. Facult.
Senior, Superintendens, Universit. h. t. Rector.

19930 00000



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn730221024/phys_0023](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730221024/phys_0023)

DFG




Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730221024/phys_0024](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730221024/phys_0024)

DFG

Boteles, inquit, popularem opinionem in
benofniendo, nec suorum dogmatum con-
videtur: quippe qui virtutis actionibus opes a-
cum ramen subtilius eo de genere disputaret.
bonum in contemplatione collocavit. Adduc-
lit: c. 3. & 15. Et rursus: rametis Aristoteles
bonum in virtutu actione posuisse, id tam
finem referri judicavit oportere. — At q-
dam tueri, & a proposita suscepta sententia
niam in actione beatam vitam in inicio posuer-
sum am felicitatem in mentu actione, que i-
platio collocavit, & Idem tamen noluit aperi-
bonum in solâ contemplatione collocare, id q-

2. Sed ut à posteriori incipiatur, Bodin
se in lectione & consideratione Philosophi-
ciam, apertissimè ostendit. Clarissime
les, finem Politica & societatis Civilis adae-
tâ vitâ Civilis, summo Bono Humano,
quod ipse in operatione secundum virtu-
tam, iustitiam scil. universalem, quæ vir-
complexitur, & prudentiam, constituit,
rum, quorum Secta Zenoni Cittico demun-
sthenes Socratis Discipulus, Diogenis Cy-
rus, jam tunc fundamenta ejus jecerit: ha-
ne, sed habitu & possessione felicitatem po-
batione indigeat, ut memoria lapsus vid-
sentiam suam de summo bono Ari-
quod ex totâ Ethicâ Aristotelis manifestu-
l. i. Etb. c. 1. (2.) hunc finem ultimum actio-
Architectonica inter Practicas, considerans
methodo (in lib: scil: Nicom.) de toto gen-
ait, cum methodus illa sit politica. Cap. a. 2. (1)
quod Politica experat, quodq. sit summum bi-
sequentibus inquirit & remotis aliis sententias.
Summum bonum autemque esse debere inqu-
vitam agentis, sed & amicorum, sociorum &



the scale towards document

Scan Reference Chart T263 Serial No. . . .

Image Engineering

Universitätsbibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de

/rosdok/ppn730221024/phys_0025

DFG